



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilia bvlvm Sive Psevdosynodvs Rhemensis, qua Arnulphus  
archiepiscopus depositus, & Gerbertus eidem substitutus fuit, anno  
Domini DCCCCXCII. tempore Ioannis papae XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

quemdam Rhemensem Gislebertum nomine Carolus frater Lotharii ciuitate Rhemensi potitus erat, ipsumque Arnulphum captiuum abduxerat. Augebat suspicionem, quod filius Lotharii regis defuncti & Caroli nepos esset, adeoque eius iussu ciuitas Carolo patricio suo tradita fuisse. Ad quam suspicionem tollendam cum ille sententiam excommunicationis, quae extat in Concilio Rhemensi, cap. 12. aduersus omnes qui tam nefaria perpetrassent priuatim intorisse, voluit ille hoc loco Galliarum episcopos conuenire, idemque quod ille fecerat praestare. Obtemperarunt suo archiepiscopo aliarum ecclesiarum antistites, atque eosdem prædones, post habitam orationem inuectiuam, sententia anathematis condemnarunt. Recitata sunt ista omnia postea in Rhemensi Concilio, atque inde a Gerberto in suum commentarium translata fuerunt.

Acta extant & recitantur cap. 12. & 14. in libello Gerberti, qui falso inscriptus est Synodus ecclesiæ Gallicanæ habita Durocortori Rhemorum sub Hugone A. & Roberto Francorum rege.

## CONCILIABVLVM

SIVE PSEUDOSYNODVS RHEMENSIS,  
qua Arnulphus archiepiscopus depositus, & Gerbertus  
eidem substitutus fuit, anno Domini DCCCCXCII. tem-  
pore Ioannis papæ X V.

### NOTA.

Quid actum  
in Concilia-  
bulo.

*Conciliabulum.*] Quid in hac pseudosynodo gestum fuerit, ex legitimis actis Eginaldus in auetario quod est apud Aimoinum descripsit his verbis: *In illis diebus in Rhemensium ciuitate erat archiepiscopus vir bonus & modestus, frater Lotharii regis ex concubina, nomine Arnulphus. Hugo autem rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii regis. Congregansque in urbe Rhemensi Synodus, in eum locum idem Hugo rex intulauit archiepiscopum Senonicæ urbis nomine Seguinum cum suffraganeis suis, in quo Concilio fecit degradari dominum Arnulphum archiepiscopum Rhemorum dolo nepotis sui, quem tenebat in carcere, dicens non debere esse episcopum natum ex concubina. In loco autem eius consecrari fecit dominum Gerbertum monachum philosophum, qui Gerbertus magister fuit Roberti regis filii istius Hugonis & domini Leuthorici archiepiscopi successoris venerabilis Seguini, Arnulphum autem mancipari custodia in Aureliana ciuitate. Venerabilis autem Seguinus archiepiscopus non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti: iusso autem regis urgebat. Alii vero episcopi, licet inuiti, tamen propter timorem regis degradauerunt Arnulphum, & ordinauerunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum quam terrenum regem, noluit consentire nequitie regis; sed magis quantum potuit redarguit ipsum.*

ANNO CHRISTI  
991. regem, propter quam causam ira regis contra eum effebuit. Cum magno itaque dedecore expelli iusit Arnulphum de ecclesia beatae Mariæ genitricis Rhemensis, & sic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianae ciuitatis, ubi detinebatur nepos eius Carolus, mansit ibi annis tribus. Nuntiantur haec omnia presuli Romano, qui valde indignatus super hoc factō interdixit sacris omnibus episcopis qui Arnulphum deiecerant & Gerbertum ordinauerant, &c. Haec de rebus in Pseudo-synodo Rhemensi gestis Aimoinus praedicto loco. Post haec ibidem subiungitur quomodo Ioannes papa indicta alia Synodo Rhemensi, in prælentia Leonis abbatis a fede apostolica alegati, acta huius Conciliabuli retractari & plane improbari mandauerit. De quibus infra suo loco.

Causam habiti Conciliabuli præbuit rumor, qui de vrbe Rhe-  
mensi per Arnulphum prodita augebatur. Nam cum Hugo rex  
Francorum sua promotione Arnulphum ad hanc dignitatem archi-  
episcopalem euexisset, hoc summo studio deinceps peregit, vt epi-  
scopum suo iudicio ingratum in ordinem redigeret, aliumque in eius  
locum subrogaret. Cumque Arnulphus ad iudicium synodale voca-  
tus ad pontificem tamquam competentem iudicem prouocasset,  
missis isthuc binis legationibus hoc non sine dolo ac fraude manda-  
tum fuit, vt si post literas sedi apostolicae ante triduum exhibitas non  
audirentur, in Gallias redirent. Quod cum legati præstisset, suo-  
que iudicio id quod leges ecclesiasticae de pontifice hac in re consu-  
lendo iubent summa cum fraude perfecissent, & in Gallias reuertis-  
sent, indicta est episcoporum Congregatio; vocatus est de proditione Acta Con-  
aliisque criminibus & irregularitatibus accusatus Arnulphus archi-  
episcopus Rhemensis. Cumque ille allegaret se a Carolo patricio suo  
Lauduni captiuum detineri, neque alio profiscendi veniam impe-  
trare posse, Hugo rex Francorum Laudunum proditione episcopi  
subegit, & Arnulphum qui ibidem in vinculis detinebatur captiuum  
abduci, & synodali huic patrum Congregationi iudicandum præsen-  
tari, eoque modo quo supra dixi diiudicari mandauit.

Acta Concilii germana, pura, simplicia, & sincera, sicut ab exce-  
ptoribus notariis vel aliis scripta fuere, non extant. Gerbertus Arnul-  
phi aduersarius in hoc Conciliabulo ad Rhemensem archiepiscopa-  
tum euectus, & a Romano pontifice deinceps amotus, eadem acta  
edidit, sed paraphrastice & rhetorico magis quam historico more.  
Nam, vt ipse fatetur in prologo, alibi quædam addidit, alibi vero ex  
iisdem nonnulla sustulit & expunxit, quædam autem paraphrastice  
transtulit & mutilauit.

Quod si ita est, verissimum esse apparet libellum illum, quem mul- Libellus  
tis blasphemias & mendaciis intextis antehac ediderant centuriato- Gerberti  
res, quemque hoc nostro tempore in odium Romanæ ecclesiæ noua- sub nomine  
tores anno 1600. Francofurti in lucem emiserunt, non tam acta syno- Synodi  
dalia Rhemensis Concilii quam scriptum quoddam & opus Gerber- Rhemensis  
ti in ipsa acta synodalia pro arbitratu illius emissum continere, editus  
namque & mendacem esse inscriptionem, qua libellus & opus ipsius Francofur-  
ti, qualis?

Gerberti *Synodus ecclesiae Gallicane* nominatur. Sic enim Romanus pontifex, prout infra dicemus, acta huius congregationis plane improbavit, amotumque iudicio synodali Arnulphum sedi sue restitui demandauit, non tam *Synodus*, quam *Pseudosynodus* appellanda erat. Quas blasphemias & calumnias contra Deum & ecclesiam, quotve mendacia huic suo libello Gerbertus inseruerit, videre est apud Baronium, a quibus recensendis atque hoc loco memorandis ego propterea in primis abstineo, quod non tam actis alicuius Conciliabuli, quam commentatio Gerberti scripto contineantur. Quisquis ea scire voluerit, anno Domini 992. numero 12. & sequentibus Baronium consulat.

## C O N C I L I V M   R O M A N V M

ANNO  
CHRISTI  
993.

PRO CANONIZATIONE SANCTI V DALRICI  
Augustani episcopi celebratum anno Christi redemptoris D C C C X C I I I . tempore Ioannis papæ X V .

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei omnibus archiepiscopis, episcopis, d<sup>r</sup> abbatibus, in Gallia & Germania comorantibus, salutem in Domino ac apostolicam benedictionem.*

Quanta fuerit solennitas festi sancti Vdalrici, patet ex eius vita, & ex Gregorio VII. epist. 38. lib. 6.

Matth. 18.

**C**VM Conuentus esset factus in palatio Lateranensi pri die Kalendas Februarii, residente Ioanne sanctissimo papa cum episcopis & presbyteris, adstantibus diaconibus & cuncto clero, surgens reuerendissimus Luitolphus Augustæ episcopus inquit: Domine sanctissime præful, si vobis placet & omnibus episcopis & presbyteris hic residētibus, libellus quem præ manibus habeo coram vobis legatur de vita & miraculis venerabilis Vdalrici, sanctæ Augustanæ ecclesiæ dudum episcopi, & quid libitum vobis fuerit decernatur. Quia Spiritus sancti testatur præsentia & congregatio sacerdotum, certum esse quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius in euangelio ista est sententia: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum.* Quod cum ita sit, nec huic tam breui numero Spiritus sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum conuenit turba sanctorum: sanctum namque est pro debita veneratione collegium.

Cumque perfecta esset vita prædicti sanctissimi episcopi,